



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 12. De Duello.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

¹²⁰ Denique in bello iusto ex parte capientium captus, cessante scandalo, ac speciali manendi pollicitatione, fugere potest. In bello autem iniusto ex parte capientium, non solum fugere, sed etiam bona hostium secum valere afferre in damni, vel iniuriæ illatæ compensationem. Nauar. capit. 17. numer. 103. Molina *tom. tertio tractat. 2. dub. 693. Lessi. lib. 2. capit. 5. dub. 5. Diana part. 9. tractat. 4. resol. 14.*



CAPVT XII.

De Duello.

¹²¹ Quid Duellum.

DUELLUM est bellum, seu pugna singularis deliberata ab utraque parte, sponte, & ex capite suscepta, statuto loco, & tempore, cui periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris. In iure Monomachia vocatur, id est pugna unius contra alterum. Constat ex hac definitione Duellum non esse Rixam, quæ ex subita ira, & non ex mutua conventionione suscitatur, interposito aliquo tempore inter conventionem, & pugnam: nec pugnam, quæ fieri solet ob necessitatem sui defensionem, quia regulariter in ea non adest deliberatio saltem ex parte aggressi. Nec propterea, qui consulto ex insidiis aliquem inuadit, nec aggressor, qui ex proposito pugnam cum altero capeffit, dicitur committere Duellum; quia non adest mutua conventio. Sayr. in *Clau. l. 7. c. 1. n. 11. Valent. tom. 3. d. 3. q. 17. punct. 1. Filliuc. tr. 15. n. 107. Bonac. de Censur. d. 2. q. 6. punct. 2. Salon. 2. 2. q. 64. a. 3. Sylui. 2. 2. q. 41. a. 2.*

¹²² Requiritur ad Duellum assignatio temporis, & loci determinati.

Qui ob priuatas inimicitias se ipsos ad pugnam incitant, & districtis ensibus alter alterum interimunt: non dicuntur committere Duellum, nec penas pugnantibus in Duello propositas incurrunt. Quia in Duello requiritur assignatio temporis cum determinatione loci. Secus dixerim de illis, qui sese obuiam procedentes conueniunt in aliquem locum abire, quo statim tendunt, & ibi concertant. Quia assignatio loci & temporis adest, Floron. de *Duel. c. 1. & 2. Peregrin. de Duel. question. 18. Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 29. n. 112. Filliuc. tr. 15. numer. 112.*

¹²³ Duellum ob manifestationem veritatis, non est licitum.

Quatuor causæ ob quæ suscipi bellum solet à Doctoribus recensentur. Prima est Manifestatio veritatis, dum scilicet aliqui confidunt ex victoria manifestatum iri veritatem, quod sint innocentes. Ob hanc causam duellum non licet, & est gravissimum lethale piaculum ob adiunctam superstitionem. Quia contra rectam rationem eligitur proximi percussio, vitæ periculum, & indicij usurpatio cum Dei tentatione. D. Tho. 2. 2. *ques. 95. a. 8. ad 3. Sanch. l. 2. Decal. c. 30. nu. 4. Tolet. l. 5. c. 6. nu. 32. Sylui. 2. 2. q. 41. a. 2.*

¹²⁴ Nec ob virum ostentationem.

Secunda est Virum ostentatio. Quæ quidem insufficiens est ad duellum indicendum: & qui hoc fine ad duellum prouocat, mortaliter delinquit. Quia contra rationem eligitur atrox

medium seu vitæ periculum ob vanum finem. Sanch. l. 2. *Dec. c. 39. n. 2. citans Nauarrum, & Valentiam.*

¹²⁵ Tertia est ad determinandam litem civilem, vel criminalem. Nec ob hunc finem Duellum est licitum, sed lethale crimen est. Quia non est proportionatum medium ad terminandam litem armata pugna percussiva cum vitæ periculo. Caiet. *sum. v. Duellum. Sayr. in Clau. l. 7. capit. 13. numer. 14. citans Valentiam, & Nauarrum.*

¹²⁶ Quarta est Euitatio ignominia, vel propriæ Quartæ ejus honoris defensio. Porro quamuis hæc causa Euitatio apud vulgus plurimum valere soleat, utpote ignominia, quia vilis & degeneris animi haberetur, si in eo casu quis duellum non acceptaret: apud Sapientes tamen & bonos viros hæc ratio non valet. Quia apud illos non lassatur fama seu honor, sed potius accrescit ei, qui temere non vult vitam suam & proximi periculo exponere. Vnde hoc ex capite non licet duellum gerere. De quo tamen *Sessione 2. Sermo recurret. Sanch. l. 2. Decal. c. 39. n. 9. citans Lessi, Azorij, Caietanum, Sorum, Nauarrum, Valsitiam, Sylui. 2. 2. q. 41. art. 2. Diana p. 5. tr. 14. resol. 99.*

¹²⁷ Duellum igitur in duobus tantum casibus est licitum. Primus est, ad sedandos duos exercitus contrarios, pugnam duorum periculo dirimendo. Imo licitum est, duellum acceptare ad conseruandam exercitus æstimationem, aut ad debilitandas hostium vires; Secundus est quando aliquis compellitur sub vitæ periculo duellum acceptare, quilibet enim potest propriæ vitæ consulere, etiam cum inuoluntate nece. Neque proprie hoc duellum est, sed nomine tantum; proprie namque defensio est, & iniuriæ propulsio. Quia ius nature dicitur, vim vi repellere. Azor. *p. 3. l. 2. c. 5. q. 3. Nauar. sum. c. 15. n. 9. Sanch. l. 2. Decal. c. 39. n. 15. & 16. Sanch. l. 2. Decal. c. 39. numer. 14.*


¹²⁸ Prohibitum est duellum non solum iure naturali, & diuino, sed etiam civili, & Canonico sub excommunicatione, aliisque gravissimis pœnis. Trident. *sess. 25. cap. 19.* Et alia sunt circa id Pontifici constitutiones Pij IV. Gregorij XIII. & Clementis VIII. qui prædecessorum suorum pœnas confirmarunt. Certe excommunicationis Tridentini vi non erat reservata, nouissime tamen reservata est summo Præfati per Clementem VII. qui eam extendit ad Reges, Imperatores, & alios quoscumque, qui publice, aut priuè etiam sine literis prouocatoriis, vel patris duellum commiserint. Has pœnas extendit ad Dominos locorum, Magistratus, locum tenentes, Duces militum, qui absque iusta causa non prohibent, quominus hæc fiant: aut qui post commissum crimen veniam & impunitiorem concedunt. Iisdem pœnis subiaciuntur suadentes, consulentes, comitantes, Socij, patini, spectatores ex industria. Ciuitates vero, terras, Oppida, & castra Dominorum tacite aut expresse permittentium, aut tolerantium decernit, Ecclesiastico subiecti Interdicto. Pœnarum vero harum relaxationem, sicut & absolutionem excommunicationis summo Pontifici pro tempore existenti reservata. Verum Clericus in duello pugnant per Tridenti

Se&t.I.De Charitate Recept. Sent. 135

destrinum ipso facto excommunicatur. Per
Pium IV. priuatur Beneficiis, Dignitatibus,
Officiis Ecclesiasticis, & inhabilis ad illa in
posterum obtinenda redditur. Sayr. de censur.
l. i. c. 21. num. 21. Bullarium apud Quarantam
fol. 118 Filliuc. tr. 1. §. n. 10. & Saard. de censur. d. 31.
sect. 4. n. 48. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5.

In sequentibus tamen casibus existimo
præfatas pœnas locum habere. Primò qui
alium prouocat ad pugnandum, nullo statu-
to, loco, ac tempore, nò afficitur excommuni-
catione, etiam in terminis Bullæ Clementis.
Quia actio hæc non habet requisita ad Duelli
constitutionem. Secundò non incurrit excommu-
nicationem, qui ad locum duelli accessit
causa inspicendi, dummodo actus ad pugnam
proximus secutus non sit: imò ex occulto
duellum aspiciens, vel obiter transeundo.
Quia non est spectator ex industria, ac
proposito. Tertio, pœnas non incurrit
qui cum altero contendens cum armis ca-
reat, domum adit ad arma capienda, nulla
facta ad duellum pronocatione: & postmo-
dum rediens ad inimicum, certamen inter se
instituant. Quia pugna hæc potius dicitur
rixa, quam duellum, cum non sit ex condic-
to, loco ac tempore statuto. Quarto denique,
non incidit in pœnas, qui ratam habet pro-
uocationem, vel pugnam, vel aliam actionem
in Bullis Pontificiis expressam suo nomine fa-
ctam. Quia superior vult pœnam ad ratiha-
bitionem extendere, solet id exprimere: & rati-
habito non comparatur mandato in pœnis,
nisi exprimat. Filliuc. tract. 1. §. cap. 5. num. 112.
113. & 114. Bonac. tom. 3. d. 1. q. 3. pun. 8. num. 14.
Diana p. 3. tr. 6. resol. 1. Floron. de duel. c. 6. §. 2.
Naldus v. Duellum, n. 2. Lessi. l. 4. c. 4. dub. 11. n.
83. Ricci. in praxi, to. 3. ref. 42. n. 2. Reginal. lib.
2. n. 77.

Quando duellum non fuit euidenter no-
tum, non potest Parochus defunctum in illo
Ecclesiastica sepultura priuare. Quia publica
pœna infligenda non est nisi publicæ culpæ.
Quando vero esset Parochus notum, duellum
posse per sufficientes testes probari, tenetur
causam Ordinatio remittere, antequam cada-
uer sepeliatur, vt sumaria in informatione premis-
sa, sententiam ferat. Quia Parochus vt legis
huius minister debet eius obseruationem pro-
curare sicut in seculari foro ad inferiores mi-
nistros, qui ex Officio sunt deuincti, attinet
denunciare Superiorem huiusmodi legum trans-
gressiones, quando delictum posse probari no-
tunt. Peregrin. de Duello q. 7. n. 3. & alij.



CAPVT XIII.

De Scandalo.

SCANDALUM est dictum, vel
factum minus rectum, præbens al-
teri ruinam occasionem. Dicitur, Di-
ctum, vel factum, quia peccata
mentalia neminem possunt scā-
dalizare, cum vt talia sint ignota. Dicitur, Mi-
Escrib. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

ius rectum, non malum, quia sepe actus ex se
bonus propter speciem mali, quam præfert,
induit scandali rationem, vnde caret debita
rectitudine. atq; adeo simpliciter est malus, vt
ait Philosophus 2. Ethic. c. 16. Dicitur. Præbens
ruinam occasionem, non causam; quia nemo alte-
rum inuitum potest ad peccatum impellere
humana enim voluntas à nulla re extrinseca
tanquam ab efficaci causa potest ad peccan-
dum induci; solum ergo potest esse occasio.
Nominem autem *Dicti*, aut *facti* intelligi omif-
sio externa debet. D. Tho. 2. 2. q. 43. artic. 1.
Sylui. ibi. Laym. l. 2. r. 3. c. 13. n. 1. Ledesm. sum.
de scandalo, tract. 4. cap. 5. Bonac. tom. 2. dub. 2.
q. 4. pun. 2. §. vni. Diana p. 5. tr. 7. resol. 1. Sanchez
lib. 1. Decalog. cap. 6. numer. 1. Azor. tom. 2. lib.
12. c. 16. q. 1.

Aliud scandalum est *Actiuum*, aliud *Passi-
uum*. Actiuum est actus attrahens ad
peccatum. Passiuum est ipsa spiritalis proxi-
mi ruina. Porro actiuum est duplex: aliud
enim per se intendit proximi ruinam, aliud
per accidens, quod non est ex industria, sed
præter intentionem; inter quæ medium est
illud, quod non quidem ex intentione
operantis, sed ex natura operis proximum ad
peccatum inuitat. Respectu operantis est per
accidens, quia præter eius intentionem: respec-
tu vero operis, est per se. quia superte natu-
ra idoneum est, vt alios trahat ad ruinam: vt
si quis in conspectu filiorum adolescentum
domi alar concubinam. Scandalum passiuum
similiter est duplex *Datum*, & *acceptum*. Da-
tum dicitur id, quod vere oritur ex actiuo
scandalo alterius, & solet etiam *Scandalum
pupillorum* vocitari. Acceptum est ruina alte-
rius non vere orta ex scandalo actiuo
operantis, sed ex propria malicia, quod alio
nomine compellatur *Pharisaorum Scandalum*.
Præterea scandalum Actiuum adhuc est du-
plex, alterum *speciale*, alterum *Generale*. Spe-
ciale est peccatum, ad quod quis alium indu-
cit, spirituale ipsius damnum intendens; Gene-
rale est peccatum, ad quod quis alterum in-
ducit seu occasionem præbet: sed non inten-
dit ruinam eius spiritualement. D. Thom. 2. 2. q. 4.
43. a. 1. ad 4. & a. 3. in corp. Valq. 1. 2. d. 102. c. 4.
n. 8. Filliuc. tr. 18. nu. 210. & 215. Nauar. sum. c.
14. n. 31. & 32. Bonac. to. 2. d. 2. q. 4. pun. 2. n. 2. &
3. Diana p. 5. tr. 7. resol. 1.

Inducens, & consummans cum altero pec-
catum, duplicis peccati reus esse videtur, etiâ si
ruinam spiritualement proximi non intendat.
Quia qui alium ad peccandum inducit, non
consummans cum eo peccatum, peccat placu-
lo inductionis, cum peccatum alienum indi-
centi imputetur: consummans vero simul cum
illo peccatum actionem peccaminosam exer-
cet, peccatum exequendo, vnde est proprii
peccati reus. Itaque qui alterum ad forti
peccatum inducit, simulque cum eo furtum
agit, dupliciter peccat, scilicet proprio furti
peccato, auferens rem domino inuito, & pec-
cato alieno, quatenus inducenti imputatur.
Sanch. l. 1. Decal. c. 6. n. 4. Valq. 1. 2. d. 102. c. 4. n.
8. Caiet. 2. 2. q. 43. a. 1. Valent. 10. 3. d. 3. q. 18. pun.
2. Azor. to. 2. l. 12. c. 16. q. 4. & 5.

Actiuum scandalum ex suo genere lethale
erit, quoties quis tenetur eâ occasione impe-
dire

132
Diuisio, &
subdiuisio
scandali.

133
Inducens, &
consummans
cum altero.
peccati du-
plicis crimi-
nis & reus.

134
Scandalum
actiuum suo
ex genere
est mortale.